

Q. D. B. V.

CLASSIS SUPERIORIS,

QUÆ
IN

ILLUSTRI SCHOLA ALTENBURGENSI

MUNIFICO

SERENISS. PATRIS PATRIÆ,

FRIDERICI VVILHELMI,

DUCIS SAX. JUL. CLIV. MONTAN. ETC.

PRINCIPIS AC DOMINI LONGE-CLE-
MENTISS.

INDULTU

ANNO ÆR. CHR. c15 13c LXII

D. VI. CAL. JUNII

ADAPERTA,

DEDICATIONEM

CUM

LECT. PUBL.

SYLLABO

PUBLICAT

M. CHR. FUNCCIUS

RECTOR

TYPIS

JO. BERNHARDI BAUERFINCCI.



TO THE HONORABLE THE
SENATE OF THE UNIVERSITY OF
LEIPZIG
IN CONNECTION WITH THE
PROCEEDINGS OF THE
FACULTY OF THE PHILOSOPHY
AND HISTORY
OF THE UNIVERSITY
OF LEIPZIG
ON THE 23rd of May 1811
BY
DR. JOHANNES
KREMER

P
F
O
q
n
fo
C
r
V
ro

I
R
q
P
n
R
v
u
d
s
B
v
7
c
I
C
I
I
E





PROSPERA LUX ORTA EST, LINGVIS ANIMISQUE
FAVETĒ:
NAM DICENDA BONO SUNT BONA VERBA DIE.



Is verbis, numerorum vinculis sensa stringenti-
bus, *Juvenes Ornatisimi*, his, in *sto*, ē *Sulmonensi*
Vate repetitis, sed paulum immutatis verbis ho-
diernam, quæ quidem prima in hoc est Loco, LE-
CTIONEM fas est auspicari. Nolo autem hîc
disceptare cum VIRIS, qui (versibus Ennianis)
— multa tenent antiqua, sepulta, vetusta,
quæ faciunt mores veteresq; novosq; tenentem,
multarum veterum legum divûmq; hominumq;
prudentem;

an olim in re sacra vel major religionis pars fuerit formulâ, quâ præco
FAVENTIAM FACIEBAT. Ego enim vos jam ablego ad optimum
optimarum formularum compilatorem BARNABAM BRISSONIUM,
qui in *Opere*, quo nihil edi potuisset operosius aliud, neq; in publicum utilius quod fuerat,
neq; doctius, neq; gloriosius, neq; augustius, doctè respondebit, verum ac sincerum
formulæ usum digitò quæ monstraturus. Remitto ad bonum huic causæ J. S.
CASAUBONUM, qui in erudito ad *Theophrasti Characteres Commentariolo* pa-
rum à *Brissonio* abludit. Et cur non OVIDII verba hodie mea facerem?
Verumenimverò illuxit, illuxit *Scholæ nostræ illustri* dies; dies cum primis
rei literariæ, nisi me omnium vota fallant, faustus, quò

ἔν τῷ πατρὸς φρασεολογίῳ ὀλυμπία ἐδλάσ

hoc novū SUPERIORIS CLASSIS AUDITORIUM DEO, MUSIS, GRATI-
IS consecrandum, dedicandum. Dedicationem sanè svadet ANTIQUITAS.
Romanam puto *Antiquitatem & Græcam*, quanquam *Judaicam* hîc exclusam nolim,
quum multò longius per aliquot secula retrò numerata hæc sese extendat.
Præsuppono enim jam olim Vobis, *mustulenti filii*, ē frequenti *Bibliorū LECTIO-
ne* cognitam fuisse primam *Tabernaculi & Hierosolymitani Templi dedicationem*.
Receptam igitur & Græcis quoq; usitatam hanc religionis partem fuisse,
velex unius *Ædis* dedicatione apparet, quam *Minervæ* struxerat *Lycurgus*,
ut in *Lycurgi vita* docet *PLUTARCHUS*, & in *Laonicis PAUSANIAS*. Hujus au-
diatis velim Locum, qui talis: ἰόντι δ' ἐὼς ἐπὶ τὸ ἀλπῖον καλούμενον, ναὸς
ἔστιν Ἀθηναῶν ὀφθαλμῖτιδος. Ἀναθηναῶν δ' ἐ λυκῶργον λέγουσιν, ἐκκοπέεντα τῶν ὀφ-
θαλμῶν τὸν ἕτερον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου. Διότι, ὅς ἐθηκε νόμος, ὅτι ἀρετὸς συνέβαινον εἶ-
ναι τῷ Ἀλεξάνδρῳ. Διαφυγὼν δ' ἐς τὸ χωρίον, λακεδαιμονίων ἀμυνάντων μὴ
προσαπολαίῳ οἰκῆν τὸν λεγόμενον ὀφθαλμῶν, ὅτι ναὸν ὀφθαλμῖτιδος Ἀθηναῶν ἐποίη-
σαν. Intelligitis, ὁ μοι, unde *Minerva*, cui *Ædem* dedicavit *Lycurgus*,
communi Græcorum Dialecto *ὀφθαλμῖτις*, *Laonicâ ὀπιλέτις* dicatur?
Ita nimirum dicitur, quod *Lycurgo* oculos, qui *Spartanorum Linguâ* sunt
ὀπιλοι, conservasset. Sed ego quò tendo? E diverticulo in viam. Re-
ceptius enim nihil *Romanis*, illis rerum *Dominis*, fuisse sciatis, quàm
Templa, quàm *Aras*, quàm *Statuas*, quàm *Gymnasia* etiam, atq; alia quæ-
libet celebriora *Loca* publicè *DIS Deabusq;*, *Patriæ* præsidibus, dedicare.
Exempla fortè desideratis? En vobis ea habeatis. Quid? Nonne *Jovi Sta-*
tori

tori Ædem dedicavit, primus ille & Urbis & Imperii conditor, Romulus, quam antè sistendæ suorum fugæ causâ voverat? Voverat autem hisce eam verbis: TU PATER Deum hominumq;, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamq; fœdam siste: Hic Ego Tibi templum Statori Jovi, quod monumentum sit posteris, tua presente ope servatam urbem esse, voveo. Nonne Templû à se extructum, amplissimum, ingens, ac magnificû Concordiæ dedicavit Dictator Camillus? Nonne Fortunæ publicæ Ædem extructam devovit P. Sempronius Sophus, qui, cum in agro Crotoniensi cum Hannibale pugnasset, conjunctis deinde copiis cum Licinii Procons. legionibus eodem cum hoste denuò conflixit, & cum in principio pugna Ædem Fortunæ vovisset, hostes tandem fudit, atq; fugavit? Nonne Jovi Opt. Max. magnis sumptibus ac mole in Palatio extructam Ædem Eid. April. Anno U. C. 15XLV. dedicavit Q. Fabius? Nonne Templum magnificentissimum, quò omnia collata & reposita erant, quorum visendorum studio antea per totum Orbem vagabantur homines, dedit Paci T. Vespasianus? Nonne Ædem, apud Juturnæ fontem extructam, Castori ac Polluci suo fratrisq; nomine consecravat Tiberi9? De Æde quid dicam communi, quam Musis & Herculi olim consecravat Fulvius Nobilior? Non enim est, ut longius exemplis insistam coacervandis. Aras autè dedicasse Veteres nemo facile inficiabitur, dummodo ROSINUM consulat, & ad Titulos attendat, quos præ se ferebant aræ. Nam aræ Jovis ΔΙΟΣ, aræ Apollinis ΠΥΘΙΟΥ inscriptû fuisse Titulû legim9; quamquam & aræ sine nomine ac Deorum ignotorû, quos Novensiles Deos Romæ vocari solitos Cincius ait, apud PAUSANIAM Atticis & LÆRTIUM Epimenideprehendantur. Sed & Gymnasia sua Mercurio atq; Minervæ dedicabant, horû statuis in una basi conjunctis, ut commune facerent, divinas propagines, Romanam facundiam cum sapientia suavissimo connubio maritandam esse. Unde etiam non immeritò hoc Hieroglyphicum, Academiae suæ proprium, Eloquentiæ parens Tullius laudat, & nuncupat, quod & HERMES commune omnium & MINERVA singulare ej9 Gymnasii esset. Loca deniq; peculiariter quædam Genio dedicasse Orbis Dominos, vel una illa inscriptio satis comprobatur, quæ his verbis concepta legitur: LOCI HUIUS GENIO. Videtis, *Ornatissimi Juvenes*, quòd non sublesta fide ad venerabile illud Antiquitatis Romanæ tribunal provocarim? Quare tantum absit, ut dubitetis, stimulo atq; calcari nobis esse laudabilem illam Veterum consuetudinem in solemnem novi hujus Auditorii dedicationem hodie exardescere, ut potius habeatis id vobis persuasissimum, præprimis cum accedat summa hujus religionis DIGNITAS. Nonne enim dignum, imò dignissimum esset opus officinam Spiritus S. dedicare? Officina utiq; Spiritus S. seu, ut laxius dicam, quod sentio, *virtutum omnium, artium liberalium & linguarum cardinalium Domicilium, Ecclesiæ atq; Reipubl. Seminarium, vera inq; verbo divino fundata religionis Templum* præsens esse debet Locus. Officina esse debet, in qua semper vera sapientia, è sinu Patris prolata, tradatur, artes lingvæq; discantur, disciplina deniq; moresq; non solum ad rectam rationem, sed etiam ad verbum DEI, tanquam ad cynosuram ac Lydium lapidem, examusim dirigantur. O felicem, o beatam hac religionis Sede, hac artium ac lingvarû Officina, hoc virtutum omnium Domicilio nostram Scholam! O utinã tanto bono gratisimã semper mente in otio ac tranquillitate ad Dei laudem, Ecclesiæ ac Reipubl. salutem commodè semper frui liceat! De ÆQUITATE ejusdem religionis quid nunc dicam? Æquum enim est, imo vel ipsa æquitate æquius Locum dedicare, què sacratum esse vult Serenissimus noster Princeps. Vult utiq; & jubet etiam Locum hunc, qui Bibliothecæ publicæ antè destinatus erat, sacrum esse Musis Musarumq; *alumnis indulgentissimus ac munificentissimus noster Nutricius,*

Serenissimus ac Celsissimus Princeps & Dominus,
Dn. FRIDERICUS WILHELMUS, DUX SAXONIÆ, JUL. CLIV.
Mont. Comes Provincial. Thuringia, Comes Limitaneus Misnia, Princeps
Hennebergia, Comes Marca & Ravensburgi, Raven-
steinii Dynasta.

Dedit scil. Deus, pro ineffabili sua ac immensa bonitate, istam animi mentē Illustrissimo PATRI PATRIÆ, ut suis sumptibus PALLADIUM hocce aperiret, ornaret, interpolaret. O laudabilem munificentiam! Ignoscat mihi *Heros incomparabilis*, quod ipsius præclarissimum hoc in Ordinem literarium bene meritum mentione tam levi ac brevi perstringo. Neq; verò vel id vobis, *Discipuli*, ita obscurum, ut lucem desideret; vel ita absconditum, ut sermonis artificio revelari videatur. Illustre omnino est, eximium, ac præ cæteris in Illustrem hanc Scholam meritis singulare. Tantum, inquam, ut uno absolvam verbulo, est, cujus nomine Deo benignissimo sempiternas agere gratias jure teneamini meritissimo. Extabit interim hoc GVILIELMIANUM PALLADIUM ære perennius regaliq; situ Pyramidum altius,

*— dilapident nisu quod fulmina nullo,
nullo tempus edax, bacchantes æthere aperto
nec venti, nec Vejovis impetuosa procella.*

Sed ex hoc jam diverticulo ad PIETATEM transeo, quæ ipsa etiam hodiernam jubet dedicationem. Jubet utiq; & hæc dedicare Acroaterium isthoc novum DEO ter. OPT. MAX, supremo illi Gymnasiarchæ, utpote sine cujus nutu nec Scholæ constitui, nec regi Juventus utiliter potest. Jubet dedicare pietas idem domicilium MUSIS, ut vos, *fili mellitissimi*, intelligatis causam, propter quam imposterum illud intrabitis. Est autem ea, ut doctrina bonisq; moribus imbuamini. Musam enim cum Pallade Ethnicos proingenii & doctrinæ præside olim coluisse vel pueris notum, qui

*pappare minutum
poscunt, irati & mamma lallare recusant.*

Jubet deniq; Pietas novum Acroaterium dedicare GRATIIS, ut meminertis, acceptum in eo beneficium cum fœnore à vobis reddendum esse. *Gratia* siquidem benefactorum erant *Dex*, quæ intuebantur se invicem complexis manibus, ut redditio beneficii notaretur. Virgines item fingebantur ac nudæ, ut simplex innueretur candor. Juvenes deniq; pingebantur, ut benefactorum memoria non consenesceret. Atq; id ipsum etiam *Ascræum Vatem* ternario Charitum numero olim significasse sciatis. Etenim tres ille actus in beneficiis, quæ ultro citroq; dantur, distinctos constituebat, ut sunt *dare, accipere, referre*. *Αγλαία* scil. quæ est *splendor ac dignitas*, monebat, ut, qui accepit beneficium, illud agnosceret ac prædicaret. *Ευφροσύνη*, quæ est *hilaritas*, monebat, datorem hilarem esse debere. *Θαλαία* verò, quæ *florida* est, monebat, ut beneficia in recenti memoria conservarentur. Ex dictis cognoscitis, quid à vobis in hoc Dei, Musarum, Charitumq; Domicilio desideretur. Desideratur, quod facile præstare potestis, ut gratè beneficia accipiatis. Hoc sanè, ut apertius dicam, à vobis fiet, si erga Deum pios ac religiosos, erga Principem devotos, erga Procere officiosos, erga Magistros morigeros, studiososq; disciplinæ, erga symmachos humanos ac benevolos, erga cives deniq; modestos & amabiles vosmet ipsi geratis. Quis vestrum jam non alta voce exclamaret: O memorabilem Dedicationem, quæ hoc fit nomine! Ego acclamor, & quod nobis, vobis res verruncent bene, gratiosissimo SERENISS. PATRIS PATRIÆ indultu, jassu autem oppidò REVER. EXCELLENTISS. AMPLISS. Viri, DNI Jo. CHRISTFRIED SAGITTARII, SS. Th. D. longe celeberrimi, Præsulis Generalis, Consistoriiq;, quod Altenburgi est, Assessoris Gravissimi, nec non Concionatoris Aulici primarii, Patroni nostri de venerandi, præsentem
Locum

Locum confecro DEO, MUSIS, GRATIIS. Confecro, inquam, illis ac dedico præfens Acroaterium, jubens, ut hæc illico foribus inscribatur, aut præfigatur *Ἐπιγραφή*:

T A M E U M

DEO
MUSIS
GRATIIS

S.

Cùm verò nihil rite nihilq; providenter homines sine immortalis DEI ope, consilio, honore auspicientur, vel ipso *PLINIO*, non inepto optimi Imperatoris Encomiasta, ingenuè fatente, ego quidem initium *LECTIONUM PUBL.* quarum mox dabo *Syllabum*, in consecrato hoc Loco, à precatone capiam, cui ut subscribat altissimus, vos *fili* non modo unanimi consensu omnes mecum exoptabitis, verùm etiam mox dulce illud Ecclesiasticum, *VENI SANCTE SPIRITUS*, assâ voce modulabimini. Nempe, quod superest, ad Te, ô maxime, ô summe rerum invisibilium procreator, mea tendit Oratio: Te compello. Tu enim prima es causa boni, locus rerum ac spatium, cunctorumq;, quæ sunt, fundamentum, expers tamen qualitatis ac quantitatis, sine situ, sine motu, sine habitu. Tu es, qui Scholas constituis, Ecclesiasq; gubernas. Tu summus atq; unicus es Scholarum & Ecclesiarum nutricius, Pater Domini nostri *JESU CHRISTI*, qui te in filio unigenito una cum filio tuo & Spiritu S. patefecisti, vivens ac regnans Deus benedictus in secula seculorum. Te igitur, in hac terrarum solitudine errans, ardentibus votis supplex ac indefessus rogo & obtestor, ut sacrum hunc Locum clementissimè protegas, inq; eo diutissime docentium ac discantium cætum conserves. Fac, quæso, Opt. Deus, ut largiter tua cœlitus defluat super nos gratia, atq; prohibe, ne ullum ore nostro excidat verbum, quod non in nominis tui gloriam & hujus florentissimæ Coronæ vergat emolumentum. Benedic, quæso, omnibus nostris dictis & factis, & largire studiis nostris in hoc sanctissimo Loco, in hac Spiritus S. Officina, in hoc DEO, MUSIS, GRATIISQUE SACRO TAMEIO quotidiana incrementa. Et docentes & discentes tuo arbitrio rege, ut in illis sit docendi dexteritas, in his discendi alacritas, sitq; in his sanctitas, pietas, charitas, sit obedientia, sit modestia, prompta sit diligentia. Audisti, summe Pater, Pater nullis unquam comprehense naturis, de quo nihil dici, nihil exprimi mortalium verborum significatione potest. Audisti, inquam, quæ sum precatus. Hinc nolo longius genu nixo procumbere, atq; continuatis te votis distringere, præferim cùm simplex cunctaq; complexum unum omnium nostrum sit votum:

SALUS SCHOLÆ.



Sequi-

Sequitur

LECTIONUM PUBL.

SYLLABUS,

qui,

finito Phonascorum svavi concentu,
recitabatur

juxta

novam

AMPLISS. DN. INSPECTORUM

DISPOSITIONEM.

Hor. antemerid.

Hor. pomerid.

D. Lune Hor.	{	VI. Compend. Hutt. RECT.	I. Prælect. in Compend. Hutt. Excell. Dn. EPHOR. Gen.
		VII. Prælectio Panegyri. Plin. cum Obs. Philolog. RECT.	II. Prælect. Logic. Tabell. Rev. Dn. CONCIONATOR AUL.
D. Martis Hor.	{	VI. & VII. templi visitatio.	I. Compendium Historiæ Ecclesia- sticæ. CON-R.
		VIII. Prælect. in L. Epod. Horat. RECT.	II. Lect. Philosoph. CONCIONAT. AUL.
D. Mercur. Hor.	{	VI. } Exercitia Styli Græco-Lat. in	FERIÆ.
		VII. } prosa & versa orat. RECT.	
D. Jovis Hor.	{	VI. Lectiones Rhetor. in Conciones ex Histor. Lat. excerptas cum perpetua Praxi Rhetor. RECT.	I. Lect. Astronom. & Geograph. SUB-CON-R.
		VII. Lectiones Epistolicae cum Praxi. CON-R.	II. Lectio Philosoph. CONCION. AUL.
D. Veneris Hor.	{	VI. Prælectiones in Antiq. Rom. Caroli. CON-R.	I. Prælect. Panegyri. Plin. cum Obs. RECTOR.
		VII. Prælect. in Elegant. Lat. Ar- noldi. COLL. QUARTUS.	II. Lect. philosoph. CONCION. AUL.
D. Saturni Hor.	{	VI. Prælectio Theocriti. CON-R.	FERIÆ.
		VII. Lectio Ebr. cum perpetua Ana- lysi & Genesi. RECTOR.	

Exercitia Disputatoria atq; Oratoria imposterum etiam, $\sigma\upsilon\nu\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega\ \acute{\alpha}\pi\alpha\upsilon$, sta-
ro tempore, eoq; trimestri, habebuntur, quibus accedent Repetitiones pu-
blica quatuor, & duo Examina publica annua.

Apposi-

JK Ya 215

L. S.

Appositè Græciam suam κροτρόφον in Troadibus appellat *sua vi loqua illa scenæ Philomela, EURIPIDEM* puto, quæ *vita humane Oraculum* dicerè, nisi ante me jam pridem *DAN. HEINSIUS* sic eum dixisset. κροτρόφον autem vocat patriam, non tam ob suscipiendi illud alendiq; liberos studium, quàm ob curam eosdem rectè honesteq; educandi atq; informandi, cuius quidem rei præclara cum apud optimum Peripateticorum Parentem, *ARISTOTELEM*, tum apud *Δεσπῆσιον πλάτωνα* vestigia licet reperire. Ecquid Tibi, L. B. dum nostrum hunc tenorem legis, atq; *novarum Læctionum syllabum* tuis usurpas oculis, de nostro *ALTENBURGO* videtur? Tune illico pleetra poëtica movebis, & hoc Græco-Latino versu Urbem salutabis?

Χαῖρε πάλαιόπολις κροτρόφος ἑδλὴ ἔσσα!

Urbs salve, nutrix puerum largissima salve!

Et cur sic inclytam non salutes Urbem? Diu sane est, quod pia Musis Musarumq; alumnis mater extitit, è cuius sinu tot beneficia haurirent, quot sufficiunt ad provehenda bonarum literarum studia. Accedit *laudabilis indulgentia Serenissimi Principis*, quam ut plenam olim, ita hodie pleniorum nostræ experiuntur Musæ. Sed experiuntur eam plenissimam civium liberi, utpote quorum præprimis bono clementissimè nuper aperta *SUPERIOR* quædam *CLASSIS*, in qua paulatim ad futura studia Academica *selectior Discipulorum numerus* præpararetur. Tuum jam est, L. B. illud *en* Romulidum acclamare, atq; ope, auxilio, consilio Bonum hoc publicum promovere, ut diu subsistat, isthac *Serenissimi Patris Patrie indulgentiâ* jam illustre factum, *Ephebeum Palaopyrgicum*. Nos interim adultioris adolescentiæ Magistri omnem, divina adjuti gratia, movebimus lapidem, ut trium Lingvarum peritos nostros reddamus Ephebos, quas qui ignorat, nunquam *D. fatente* *HIERONYMO* est Theologus, sed Theologia violator, ac verè manibus pariter atq; pedibus illotis rem omnium maxime sacram non tractat, sed profanat, conspurcat, violat. Vale, quisquis es, sive summus sis, sive medioximus, sive imus, *LECTOR CANDIDE*, & *ὀφθαλμῶ ἀπομένῃς τῶ δεξιῶ* nobis nostrisq; fave laboribus.

PP. Altenburgi Anno Ær. Chr. 1716 LXII. d. XX. Junii.



J. N. 25, 21.

(X2000291)

Ya
215

Q. D. B. V.

CLASSIS SUPERIORIS

QUAE
IN

ILLUSTRI SCHOLA ALTENBURGENSI

MUNIFICENTIA

SERENISS. PATRIS PAULI

FRIDERICI VI

DUCIS SAX. JUL. CLIV. M. S.

PRINCIPIS AC DOMINI LOTHARI

MENTISS.

INDULTU

ANNO ÆR. CHR. MDCCCLXXXIII

D. VI. CAL. JUNII

ADAPERTA,

DEDICATIONIS

CUM

LECT. PUBL.

SYLLABO

PUBLICAT

M. CHR. FUNCK

RECTOR

TYPIS

JO. BERNHARDI BAUERF.

